



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

L. Vtrum absque spe dari possit opus aliquod salutare?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

tur. Quia utriusque modo æque latent actualiter. Quæ autem latent, utique lateant, nihil eatenus mouent. Manifestum porro est, compossibile esse cum fide cognitionem naturalem rationis inferioris, quæ motuum temporale oppositum spei præcindatur ab iis circumstantiis, & prædicatis, quæ manifestantur per ipsam fidem. Est igitur compossibilis cum fide postpositio illa practica, & affectiua magnitudinis potentia, & misericordiae Dei respectu magnitudinis peccatorum.

Ad 2. Inducitur iam supra discrimen obiecti spei ab obiecto desiderij. Nempe obiectum spei ex suo conceptu habet malum aliquod adiunctum bono sperabili, & mouenti ad sperandum. Rationem scilicet difficultatis, ac arduis, ob quam potest voluntas remoueri à prosecutione ipsius boni, tamen agnoscat possibile. At desiderium ex sua præcisè ratione fertur ad bonum absens, secundum solam rationem bonitatis eius. Vnde representata illius bonitate nihil superest, quod per se retrahat voluntatem, quo minus desideret. Non igitur subsistit, quod dicitur, spem à desiderio differre sola certitudine, quæ præit ex parte fidei.

Ad 3. Quod assumitur, actum malum voluntatis conformem actui falso intellectus, dicitur quidem cum fundamento haud exiguo in Philosopho, & D. Thoma. Vtrique enim est frequens eiusmodi loquutio, maxime verò D. Thom. Non tamen ita accipiendum id videtur, quasi necessarium præcisè sit, ut actui voluntatis formaliter malo præluceat actus intellectus formaliter falsus. Sed, ita, ut necessariò præeat actus æquiualeuter falsus, propter præcisionem, & quasi dissimulationem decepticem expositam nuper in responsione ad 1. Ratione namque eiusmodi præcisionis, ac dissimulationis caret necessariò cognitio directiua, ac inductiua actus peccaminosi plenitudine vestitis impeditur peccatum, si adesset in intellectu, & inducit actum voluntatis eiusdem prorsus rationis quoad suam entitatem materiale, cum eo actu, qui esset conformis cognitioni formaliter falsæ neganti, & non solum dissimulanti inesse malitiam, ac inhonestatem moralem bono temporali, seu vtili, seu delectabili. Inquam, quoad suam entitatem materiale. Quia cum præit actus intellectus formaliter falsus, quatenus negat inesse obiecto vtili, aut delectabili malitiam, ac inhonestatem moralem, actus subsequens voluntatis illi conformis materialiter solum quoad malum, neque est secundum se seorsum vituperabilis, aut specialiter imputabilis ad culpam, ut dictum est q. 24. de act. hum. Actus verò voluntatis subsequens ad cognitionem naturalem præcisam modo dicto, & coexistentem cognitioni supernaturali manifestanti malitiam moralem est vituperabilis, ac imputabilis specialiter secundum se præcisè, ut inibi dictum est. Falsum itaque est, ad actus peccaminosos oppositos spei, præquiri actum infidelitatis oppositum fidei, sicut ad actum spei præquiritur actus fidei. Quia cum bonitas actus spei consistat in positio, præsupponit necessariò positivam eatenus bonitatem, ac perfectionem in cognitione directiua ipsius. Malitia verò insperationis consistit in priuatione, cui inducendæ perinde sufficit præcisio modo dicto defectuosa, atque falsitas positiva, ut dictum, ac expositum est.

Art. 1. Ad 4. Eo quisque modo se decipit practice, ac inducit in opus malum, quo inducit in idem, ac decipit alios per verba exteriora. Nemo autem alios præsentos iam documentis vniuersalibus fidei decipit, ac inducit in opus malum, nullumque esse peccatum furari, aut occidere hic, & nunc. Quod ninrum clarè contradicit fidei, ideoque persuaderi minime

potest homini fideli. Decipit igitur, ac inducit, quisque hoc facit, ponderando solum vtilitatem, & delectationem consequentem ad opus, quod est facinorosum, & magnificando omnia prædicata, omnesque circumstantias, quibus utraque ea ratio bonitatis, aut altera reddi potest illustrior, magisque prouocatiua appetitus, nihil interim significando de malitia morali, & de iactura vitæ æternæ, quod est intenta ratio superior sub conceptu vniuersali, vel etiam in particulari. Hoc igitur eodem modo se quisque decipit dum peccat, siue contra spem, siue contra virtutem aliam quamlibet. Nempe quoad hoc punctum nihil interuenit speciale in peccato contra spem.

Art. 2. Tota itaque corruptio, totiusque defectus dictaminis, quo pugnat, & subuertit ratio inferior, consistit in ea expressione commodi temporalis coniuncta cum præcisione, ac dissimulatione mali spiritualis, ac æterni. Quod quidem est proculdubio conforme doctrinæ circa hanc rem vniuersali Philosophi lib. 7. Ethic. c. 2. & 3. quæ cupio legantur attentè. Nec aliud, credo intelligere, aut intendere potuit D. Thom. q. illa 20. art. 2. & alibi sæpe, licet alij eum exponant in sensu, quem impugnat obiectio. Impugnat verò, nisi omnino fallar, demonstratiuè. Verum error confundens præcisionem cum negatione eorum, à quibus præcinditur, quanquam est crassus, irreptum tamen non paucis, nec raro, & nonnunquam cum magna, valdeque nocua peruersione doctrinæ, ut videre licet inter alia q. 89. de Sacrament.

Art. 3. Quidquid sit de hoc puncto, manifestum est præmissam rationis inferioris præcisionem, utique defectuosam, esse compossibilem cum fide, cumque recta eius estimatione, & vniuersali, & particulari. Quapropter obiectio concedendum est totum, solaque neganda est suppositio, quod corruptio estimationis particularis requisita ad desperandum, aut aliter peccandum consistat in cognitione positivè falsa, & non in sola dolosa, ac captiosa præcisione, qualis exposita nuper est. Exposita verò est semel, atque iterum propter tenacitatem nonnullorum ad doctrinam contrariam, quæ mihi plurimum displicet, feroque dolenter, quod placeat aliis.

Ad 5. Motus piæ affectionis imperans actum fidei est inchoatio quædam spei, & fertur sub conceptu confuso ad eadem dona, quæ distinctè, & certò proposita per fidem amplectitur deinde ipsa spes vti expositum est supra in loco. Non autem repugnat idem obiectum ab eodem esse volitum sub conceptu confuso, simulque nolitum sub conceptu distincto, ut patet in beatitudine volita necessariò ab omnibus sub hoc conceptu vniuersali, simulque reiecta ab omnibus peccatoribus sub conceptu distincto eius boni, in quo reipsa consistit beatitudo.

QVÆSTIO L.

Vtrum absque spe dari possit opus aliquod salutare?

VIDETUR dari posse 1. Quia in questione præcedenti dictum est, amissa spe, retineri nihilominus, atque exerceri posse fidem. Fides autem est principium sufficiens omnium, & quorumlibet operum salutarium. Quia proponit, prout oportet, motiua sufficientia ad illa omnia, & qualibet. Ergo amissa spe possunt nihilominus fieri opera qualibet salutaria.

2. Fides se sola potest inducere actum spei absque consortio, & cooperatione cuiusquam alterius virtutis.

tutis. Actus autem spei est specialiter arduus, ac difficilis, cum obiectum eius sit arduum ex suo conceptu. Ergo à fortiori potest eadem fides se sola, & absque confortio, atque cooperatione spei inducere alios actus salutare faciliore ex sua natura.

3. Actus ipse fidei est, vel maxime salutaris, cum sit totius Sanctitatis, atque salutis vitae aeternae fundamentum. Ergo siquidem hic actus est possibilis cum reiectione spei, nequit esse impossibile cum eadem omne vniuersaliter opus salutare.

4. Homo hominem diligere, eidemque obsequi potest, quantum capax est dilectionis, & obsequiorum, tamen nihil speretur ex ipso, quin imò tunc est perfectior, ac laudabilior dilectio, & obsequendi voluntas. Multo igitur magis praestari idem potest respectu Dei, utpote dignioris ex se praecise, qui diligatur super omnia, & cui ab omnibus obsequium praestetur. Dilectio autem Dei, & obsequia erga ipsum, quantum absolute capax est, sunt certissime salutaria, & inductiva beatitudinis nostrae.

5. Defectus, & reiectio spei non tollit omnino, sed solum labefactat vires salutariter operandi, inducta sola segnitie, non verò totali operum salutarium impotentia, ut apparet ex illo ad Hebr. 6. 11. *Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad explicationem spei, utque in finem, ut non segnes efficiamini.* Segnis autem, tamen si difficulter, potest tamen absolute operari.

6. Qui peccat contra spem, retinet nihilominus potentiam sperandi, potestque respicere, & iterum sperare. Alioquin esset inemendabilis, & durante statu via constitueretur in termino damnationis. Spes autem est opus ex sua natura maxime arduum, ut nuper iterum notabatur. Ergo à fortiori posunt elici alij actus salutare non vique adeò difficiles in sensu composito in desperationis.

Art. 1. Respondetur. Nihil hic necesse est praemittere de actibus, & operibus bonis pure naturalibus, expertibus quidem omnis specialis malitiae formalis, & reprehensibilitatis secundum se praecise, nihil tamen conferentibus positivè ad salutem vitae aeternae, seu ad visionem Dei immediatam. Cum enim ostensum sit supra q. 46. eiusmodi opera esse absolute compossibilia cum infidelitate, dubitari minime potest, quin eadem sint compossibilia consequenter cum defectu spei. Quia defectus spei non opponitur, certe non opponitur magis rectae actioni, ac directioni naturalis rationis, cuius solius ductu dictum ibi est, opera bona, & adequatè laudabilia ordinis pure naturalis fieri aliqua absolute posse.

Art. 2. Nec mouere quemquam debet, fidem ut coniunctam cum desperatione videri occludere totaliter aditum omni operi bono; quatenus fides proponit finem supernaturalem tanquam vnicum hic, & nunc, ideoque impedit omnem conatum in ordine ad vltimum finem pure naturalem, utpote representatum impossibilem, ac inconsequibilem de facto; sicut desperatio impedit omnem conatum ad finem, supernaturalem, quatenus desperans se habet affectivè in ordine ad illum tanquam impossibilem, penitusque inconsequibilem, ut mox dicitur; omne verò opus bonum est conatus quidam ad verum vltimum finem, vel naturalem, vel supernaturalem; atque infidelitas relinquit expeditam directionem rationis naturalis ad finem vltimum naturalem, ideoque non ita impedit omnem conatum ad eum finem per actus bonos ordinis naturalis. Non, inquam, mouere hoc quemquam debet. Quia fides, etiam ut coniuncta cum desperatione relinquit liberam estimationem naturalem operum bonorum naturalium, quatenus conferentium, ut minimum negativè ad finem vltimum hominis. Semper enim viget haec veritas, siue adsit, siue desit vis eleua-

tina fidei, operibus bonis etiam pure naturalibus impediri peccata, ac proinde remoueri impedimenta beatitudinis supernaturalis, & punitionem reddi minorem pro casu damnationis. Imò vis motiva huius veritatis augeatur per ipsam fidem. Quia per fidem apparet magis, tum bonitas beatitudinis impedibilis per peccata, tum acerbitas poenarum per eadem inducibilium. Præterea retentio habitus fidei non obstat, quo minus ratio naturalis, saltem per intervalla, praefulgeat sola voluntati. Constat itaque, in sensu composito desperationis superesse possibilia opera bona ordinis naturalis, magis etiam, quam in sensu composito infidelitatis.

Art. 3. Iam opera bona positivè salutaria, eademque ordinis apud me intrinsecè supernaturalis in duas classes distribuuntur. Alia namque sunt initialia, ac fundamentalia, quæ ex sua natura, seu ex se praecise conferunt remotè, ac dispositivè ad consequutionem vitae aeternae. Huiusmodi sunt voluntas conversionis ad fidem Catholicam, pia desideria illuminationis per ipsam, petitiones, & preces ad Deum suæ, ut eam largiri dignetur, & cætera huiusmodi, quatenus concipiuntur dependentè à conceptu quodam confuso, inchoatiuo, ac imperfecto futurorum bonorum supernaturalium. Alia opera sunt inductiva immediatè promotiva vitae spiritualis, quæ ex sua natura perducent immediatè ad vitam aeternam, aut inducunt augmentum ipsius vitae aeternae. Huiusmodi sunt dilectio Dei super omnia, & quæ eandem dilectionem ita participant, ut ex sua natura praesupponant, saltem loquendo per se, imperium eius, & causalitatem, atque adhæreant magnitudini futurorum bonorum sub conceptu distincto, ac perfectio coniunctionis cum Deo per gratiam, & visionem beatam.

Art. 4. Primum genus operum, seu actuum potest absolute haberi in sensu composito recessus voluntarij, ac liberi, à spe. Idque probant efficaciter rationes omnes dubitandi præter quartam, quæ nihil probat. Cum enim dictum sit, fidem retineri posse in sensu composito desperationis; atque cætera prædicta opera initialia, quæ initialia sunt, sint, quoad hoc, eiusdem rationis cum fide, ut per se patet, dubitari minime potest, quin actus eiusmodi salutare, dependentes ex sua natura à fine vltimo supernaturali, quatenus confusi, ac imperfectè concepti, dari possint in sensu composito desperationis, alioquinque actuum excludentium vitiosè spem Theologicam.

Art. 5. At posteriorum operum genus immediatè perducentium per se ad vitam aeternam, censeo, esse prorsus impossibile cum actibus vitiosis oppositis spei, necnon cum habituali animi dispositione inde resultante. Quia *nemo desperans de fine operatur*, ut dicit Philosophus. Qui suum istud axioma promouet illo alio radicitus conuulcente omnem desperantis operationem lib. 2. Rhet. cap. 5. post medium: *Nemo enim de re consilium de qua nulla spes apparet.* Nulla autem apparet desperanti, ut patet. Nulla igitur est possibilis electio ordinata ad finem sub eo conceptu, sub quo nulla est ipsius spes. Omnis autem operatio salutaris, de qua est sermo, est electio intrinsecè, ac essentialiter ordinata ad finem vltimum supernaturalem, prout est obiectum spei Theologicae, iuxta principia alibi sæpius, ac fusè stabilita, & praesertim quaest. 7. de Gratia. Nulla igitur eiusmodi operatio salutaris, & possibilis in sensu composito desperationis.

Art. 6. Ratio est. Quia desperans respicit affectivè finem, de quo desperat, tanquam prorsus impossibilem, seu afficitur ad illum perinde omnino, atque si repræsentaretur sibi, ut prorsus impossibilis. Cedit enim, qui desperat, difficultati consequendi finem tanquam prorsus insuperabili, perinde, ac si cognitio præuia dictaret, eam esse omnino insuperabilem reipsa;

sicut prosequens aliquem odio inimicitiae fertur ad illum tanquam ad parum malum; & rationem formalem obiectiuam ob quam disputet inimicus, respicit tanquam infectiuam, penitusque deprauatiuam ceterorum omnium, quae illi insunt. Discrimen est solum penes necessitatem, & libertatem. Quia nimirum finis existimatus impossibilis infert necessario affectum desperationis; liberè verò, dum solum existimatur difficilis difficultate absolute, vel secundum quid, praeponderanti bonitati eius, & utilitati, aut delectationi possessionis. Quam in rem videri potest doctrina tradita quaest. praeced. & quaest. 30. de Passionibus. Eodem etiam confert exemplum praemissum de odio. Quia obiectum putatum purum malum terminat odium necessarium; eidem verò subest ex libera electione bonum, cui est adiunctum malum malitia absolute, vel quoad aliquid praeponderante bonitati.

Art. 7. Tam autem impossibile est, voluntatem eligere, ac adhibere media in ordine ad finem, ad quem affectuè se habet, ut ad impossibilem, seu quem perinde reiecit, atque si reipsa esset, & audicaretur impossibilis; quam est impossibile, ut eligat, ac adhibeat media in ordine ad finem praedictam omnino impossibilem. Quia actus voluntatis natura posteriores subinuntur, & conformantur conditioni, & modo tendendi actus natura prioris, necessitate haudquam minori, quam sit ea necessitas, qua subordinatur, & conformatur quilibet actus voluntatis conditioni, & modo tendendi actus intellectus, per quem immediatè dirigitur. Eo vel maxime, quia alioquin daretur contradictio in actibus voluntatis, utpote aliis reicientibus finem, ut impossibilem, aliis simul conantibus ad eundem, ut impossibilem. Quod est planè impossibile.

Art. 8. Ex ista ratione apparet, nihil differre desperationem intellectualem, seu iudicium de impossibilitate consequendi ultimum finem supernaturalem, & desperationem affectiuam, seu recessum liberum ab eodem ultimo fine, quatenus valde difficulter consequibili. Nihil, inquam differre quoad vim impediendi progressum operum salutarium, & electiones ordinatas ad ultimum finem supernaturalem, eidemque sub hoc ipso conceptu intrinsecè subordinatas; nisi quod desperatio affectiua immediatè libera est compossibilis cum proxima potentia libera redeundi ad ipsam spem, eandemque proximam potentiam liberam tollit insuper desperatio intellectualis, quae est propria infidelis, solamque relinquit potentiam remotam sperandi, indistinctam à potentia proxima ad finem.

Art. 9. Concluditur itaque esse incòpossibiles cum desperatione actus omnes salutes praeter eos, qui ex sua natura sunt initiales intrinsecè, ac praambuli. Circa quod tamen adhuc supersunt breuiter notanda. Alterum est, eandem esse rationem quoad hoc punctum, de desperatione, ac de praesumptione, ut patet in quaest. seq. solumque claritatis gratia desperationem potissimum positam esse in superiori discursu. Alterum est, sicut actus pia affectionis, alijque, quos diximus initiales, sunt facilis, intensius, ac perfectius, accedentibus fide, spe, & charitate vel etià sola spe, quatenus quo quis est magis, ac melius affectus erga Deum immediatè, eo melius peragit omnia, quae ducunt ad Deum: ita superueniente desperatione, quae simul tollit charitatem, iidem illi actus initiales redduntur difficiliore, & sunt rariùs, minusque perfectè ob contrariam proportionalem rationem; tum etiam quia facto recessu ab ultimo fine supernaturali sub conceptu distincto, & proprio ipsius, sub quo apparet per fidem completam, extenuatur plurimum vis motiua, ac allicitiua voluntatis, quae inest eidem ultimo fini sub conceptu confusio, ac imper-

fecto, sub quo apparet per fidem inchoatam. Nempe conscientia ultimi finis contempti, ac reiecti sub conceptu proprio, ac distincto habet vim plurimam retardandi, ac remouendi voluntatem, quo minus prosequatur eundem finem, ut confusè, ac imperfectè representatum; tum propter praedominium expliciti supra implicitum in quouis actu genere, tum propter inutilitatem incipienti, quod non est perficiendum, seu de quo non perficiendo adest iam propositum praesens. Vnde per desperationem redditur valde difficilis per se, & quodammodo impossibilis moraliter ipsius etiam fidei perseverantia, & consequenter aliorum quoque inutilium actuum salutarium ulterior progressus, ac repetitio.

Art. 10. Hac de causa Prouerb. 24. 10. dicitur vniuersaliter: *Si desperaueris lassus in die angustiae, imminuetur fortitudo tua.* Vbi Glossa ordinaria: *Nihil est, subdit, execrabilius desperatione, quam qui habet, & in generalibus huius vitae laboribus, & quod peius est, in fidei certamine constantiam perdit.* Ad eandem nocementi, & tedium spiritualis vniuersalitatem pertinet, ex intelligentia Bedae, & quorundam aliorum, quod dicitur cap. 18. eiusdem libri vers. 3. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, (desperauerit) contemnit,* nempe vniuersaliter omne bonum, opusque omne salutare. Vnde Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 2. optimè pronunciat: *Perpetrare flagitium aliquod vniuersae animae est; sed desperare est descendere in infernum,* iuxta illud à nonnullis ed applicatum ex Psalmo 44. 16. *Descendant in infernum viuentes.* In hunc igitur modum actus oppositi spei intercludunt aditum salutis, operumque salutarium.

Ad 1. 2. & 3. Vix quidquam necesse est respondere, quia solam concludunt aliqualem possibilitatem operum ex se initialium, à quibus, ostensum est, nullam esse paritatem ad alios aliarum, vel earundem virtutum actus immediatè, ac intrinsecè ordinatos ad ultimum finem supernaturalem sub conceptu eius distincto. Nota specialiter circa 1. & 2. fidem esse directiuam, ac inductiuam actuum omnium vniuersaliter virtutum, sed serie quadam, atque in ea serie primum esse actum spei, cuius proinde non superata prius difficultate non potest inducere alios actus, qui illo praesupposito sunt eodem faciliores, impossibiles verò illo non praesupposito, ob rationem superius praemissam. Ex qua notatione patet etiam ad 6.

Ad 4. Reiecta spe humana, seu quae collocatur in homine, qui est finis particularis, potest superesse spes diuina, quae est circa finem vniuersalem, quaeque propterea erigit animum sufficienter ad omne genus operum salutarium, & specialiter ad opera charitatis erga proximum. At amissa spe diuina nihil ad salutem animae conferre, ac iuuare potest spes collocata in homine, sed magis nocere, iuxta illud Hierem. 17. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Mirum igitur non est, quod honestè, & speciali cum laude oblecti possimus homini reiecta spe humana, & neglectis humanis bonis, quae sola ab homine provenire possunt. Quia eo ipso illi obsequemur adiuti spe diuina, & amore spiritualium bonorum. Quod est valde honestum, ac laudabile. Reiecta verò hac ipsa diuina spe, & amore diuinorum nil superest, per quod similiter adiuenemur ad obsequendum Deo laudabiliter, & honestè, ut patet. Nulla igitur est paritatis ratio.

Ad 5. Debilitat quidem tantummodo animam desperatio in ordine ad opera initialia, ut dictum est. At in ordine ad reliquum salutis iter non solum debilitat, sed & ligat penitus, licet non interimat. Nec locus ille Epistolae ad Hebraeos quidquam facit in contrarium. Quia particula *ut non segnes* non refertur ad expletionem spei, sed ad ostensionem sollicitudinis. Et praeterea non est ibi sermo de virtute, aut de actu

actu spei, sed de sola spe obiectiua, quæ expletur per gloriam, ad quam vsque postulat Apostolus sollicitudinem.



QVÆSTIO LI.

Virum due solum sint species vitiorum oppositorum spei, præsumptio, & desperatio?

VIDENTUR non esse dua, aut esse plures, quam dua. 1. Quia fides, & spes sunt eiusdem proportionaliter rationis quoad omnia, tum ex parte obiecti formalis, tum etiam materialis, vt dictum est supra quæst. 34. Dantur autem tres species infidelitatis contrariæ fidei, vt dictum est supra quæst. 47. Ergo totidem, vt minimum insperationis species sunt admittendæ.

2. Fieri potest, vt quis speret ex Deo bona temporalia, dona verò æterna, & gloriam, non ex Deo, eiusque gratia, sed ex meritis propriis habitis ex sola sufficientia naturæ, quæ erat spes Pelagianorum. Fieri similiter potest è conuerso, vt quis desperet de Deo quoad bona temporalia, & subuentionem præsentis calamitatis, retenta nihilominus firmiter spe æternorum donorum, & gloria; siue vt hæc speret ex Deo, illa verò ex sola sufficientia naturæ, & independentè à libera, ac liberali prouidentia Dei. Quia videlicet dona æterna, & gloria sapius, ac distinctius promittuntur à Deo, atque clariùs cognoscitur de iisdem, quod non possint, nisi ex Deo gratiosè illa conferente. Duæ autem istiusmodi vitiosæ contrarietates respectu spei Theologicæ differunt specie; tum inter se, quia opposito modo se habent quoad bona temporalia, & æterna: tum à pectore, & desperatione, & præsumptione, quia participant utramque inadæquatè, & continent in se quandam quasi mixtionem vtriusque: Dantur ergo plures insperationis spes, quam dua.

3. Præsumptio est vitium oppositum magnanimitati, quæ est virtus moralis, vt tradit Philosoph. lib. 2. Ethic. cap. 7. & lib. 4. cap. 3. Ergo præsumptio non est species vitij oppositi spei Theologicæ. Pater consequentia, quia nullum vnum vitium opponitur directè duabus virtutibus præsertim vsque ad eò diuersis inter se, ac sunt virtus Theologica, & moralis.

4. Eadem præsumptio opponitur magis timori, quam spei. Primum quia præsumptio consistit in prosecutione, sicut spes; timor verò in fuga. Vnde præsumptio, & spes sunt eiusdem generis, & opponuntur inuicem, sicut duo pectiua, penes magis, & minus. At præsumptio, & fuga opponuntur inuicem sicut positium, & negatiuum, & differunt toto genere. Deinde præsumptio excludit totaliter timorem, spem verò vsque ad eò non excludit, vt augeat potius ultra modum. Ergo præsumptio magis est dicenda vitium oppositum timori, quam spei.

Art. 1. Respondetur. Deordinatio voluntatis directè, ac immediatè contraria rectitudini spei est duplex. Quia voluntas dupliciter peccat circa motuum legitimum sperandi. Primum quatenus fertur ad illud, tanquam ad insufficientem pro consequutione boni desiderati, sed potius quatenus recedit ab illo, tanquam ab insufficienti, nec continenti in se possibilitatem rei desideratæ. Secundo quatenus fertur ad idem motuum, tanquam ad bonum non necessarium, seu redundans pro consequutione rei desideratæ, vel potius quatenus recedit ab illo tanquam à superfluo, atque aliunde supplebili faciliè absque iactura, imò & cum commodiore consequutione rei desideratæ.

Art. 2. Impossibile nimirum est, vt quis concipiat affectum erga motuum legitimum sperandi, qualem postulat bonitas eius ex sua natura, vtque eidem adhaereat, quantum par est, tum tanquam sufficienti, tum tanquam necessaria ad consequutionem rei, desideratæ; ita vt neque auertatur, ac recedat ab ea bonitate hoc titulo, quia non apparet sufficiens, neque contemnat eandem hoc titulo, quia non apparet necessaria, aut non ita necessaria, ac re ipsa est. Impossibile inquam est, vt voluntas sic affecta erga motuum legitimum spei, deficiat nihilominus à rectitudine sperandi. Alterutro igitur ex illis duobus modo necesse est, vt peccet, quicumque peccat contra virtutem spei. Fieri verò potest, vt peccet utrolibet modo, vt per se patet satis, nec non ex dictis superius.

Art. 3. Peccatum contrarium spei per auersionem, ac recessum ab eius motuo tanquam insufficienti, dicitur desperatio. Quia totaliter opponitur spei, neque vlla ex parte conuenit cum ipsa. Sicut enim qui iudicat Deum hic, & nunc, factisquæ suppositionibus, quæ iam adsunt, esse insufficientem re ipsa ad consequutionem vitæ æternæ, & ad superandas difficultates occurrentes ei in eius prosecutione, vt iudicant reprobi in inferno; necesse est, vt totaliter recedat ab amore potentia Dei, vt potentis subuenire in ordine ad vltimum finem, & ad media illi proportionata; neque est possibile, vt amplius nitatur eadem potentia, quoad effectum erigendi animum ad conatum prosecutionium vltimi finis, & mediorum; qui est totalis defectus spei, & status animi è diametro contrarius statui sperantis: ita etiam qui credit quidem per fidem, Deum esse sufficientem ad subueniendum sibi, & tamen ad illum afficitur perinde, ac si esset, & proponeretur insufficientis; inducit in se totalem priuationem spei, nullamque eius particulam in se retinet, vel etiam vitiosè. Cuius rei ratio patet ex quæstione præcedenti ab art. 6. Quapropter qui peccat in eum modum contra spem, dicitur desperans, quæ speranti vndequeque contrarius.

Art. 4. Peccatum verò contrarium spei, quod committitur per affectum circa Deum, vt sufficientem quidem, non tamen necessarium, aut non vsque ad eò necessarium, ac re ipsa est, dicitur præsumptio. Quia videlicet qui sic peccat, sumit sibi, ac præoccupat ex Deo plus, quam re ipsa pertineat ad se, atque attribuit Deo affectiue indulgentiam erga se maiorem secundum quid, quam in se ipsi de facto. Quasi verò contulerit sibi sufficientiam, & vires ex se maiores in ordine ad beatitudinem, quam quas contulit de facto, aut exigit pauciora, vel minora pro eodem scopo, quam quæ de facto exigit.

Art. 5. Itaque desperans retrahitur totaliter ab opere, nec amplius conatur quidquam in ordine ad suum finem, sicut qui succumbit oneri. Vnde eatenus redditur mortuo similis. Cessat enim ab omni conatu obtinendæ vitæ æternæ, ac si esset, mortuus, vt apparet ex quæstione præcedenti, præsertim art. 10. Præsumptuosus è contra est actiuus, & graditur, sed præter viani, ideòque magnis conatibus alta petens nihil efficit, nihil assequitur. Quia quærit altiora se, quæque virtus suis minimè conueniunt, & quod caput est prætergreditur limites voluntatis, promissionumque diuinarum, atque ob nimium amorem sui; suæque excellentiæ definit adhaerere soli Deo, eodemque solo niti. Quæ de causa de ipso propriissimè verificatur, quod desinitur, dum alienatur, & quod imago eius ad nihilum redigitur, velut somnium succedente vigilia, seu somnium surgentis, vt habetur ex Psal. 72. 18. & 20.

Art. 6. Ex his apparet, licet desperatio, & præsumptio otiri possint indirectè, & occasionaliter ex quolibet vitio